...us Stanisl.

Wolfowicz Andr. Hyacinthi: Io gratulatorium quod Martino Stanisl. Wolfowicz fratri suo lusit et dedicavit.

IO
GRATVLATORIVM,

QVOD

VENERABILI DOMINO,

MARTINO STANISLAO

WOLFOWICZ:

Clarissimi & Doctissimi Viri, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris FILIO.

CVM

In Alma Academia Crac. primâ Artium Liberaliũ ac Philosophiæ Laureâ insigniretur.

ANDREAS HYACINTHVS WOLFOWICZ,

Fratri suo optatissimo.

Nec non

Nobilis & præclara Iuuentus Acad.

LVSIT

&

DEDICAVIT.



EXIMIÆ SPEI
ET
PRÆCLARISS: INDOLIS
ADOLESCENTI,
Venerabili Domino
MARTINO STANISLAO
WOLFOWICZ:
Primæ Laureę fælix auspiciũ
ALBERTVS SARNOWIC Concandidatus gratulatur, & omnem felicitatem
EXOPTAT.



NTER varia variorum hominum ad gloriam media, vt nullum tam & infirmum est, quàm id, si quis ab incepto cursu desstiterit; ita nullum tam efficax & celebre quàm vnius viæ quantumuis molestæ & asperæ non mutata voluntas. Hoc est enim illud Tullianum: Quarum laudum (*inquit*) adamaris gloriam, quibus artibus eæ laudes comparantur, in eis elaborandum esse. Hoc proposito & omnibus aliis, metam honoris & tibi attigisse datũ est diuinitus, qui tam diu in incæpto (me & alius spectantibus) sudâsti, quàm diu huius laureæ, quam suscipis bonor & dignitas requirere videbatur; ad quam te eximia natura rapiebat, & singularis virtus, quem manu prehensum ducebat; magna verò merita; maiora præmia pollicebatur. Vtinam sit hic tuus bonor, Honorum vestigium, Almæ Academiæ Parentis nostræ decus & ornamentum, Patris tui Viri Clarissimi atq; Doctiss. imitandi studium. Neq; enim fas est imbellem columbam à feroci degenerari Aquila, neq; difficile est pullo Aquilæ immotis oculis intueri solem, cùm Aquila quæ peperit quasi digitum spectanti intenderit. Iam verò vlterius tui progressus atq; cursus ratio si tota à spe atq; expectatione penderet, non tantùm de te promitteret: quantùm hæc tua Laurea loquitur, quæ cùm virtutẽ præterire non soleat, ad te sponte peruenit. Perge itaq; & honore non aliter hoc vtere, quam ad accessionem & felicitatis symbolum, quã comite opto, vt omnis Tuæ vitæ ratio feratur. Opto vt tua Stirps clarissima, quæ dignum Te suâ Laude produxit, Paterna merita inter Magnates, & alios, spectatamq; eius dignitatem Fauentibus Superis in te deriuatam intueatur.

Viue, & tuæ Laureæ prosperitate Lætus ac beatus fruere.

 ODE

ODE

Dicolos Tetrastr.

Io Camænæ, germen Apollinis,
Io Sorores Aonium iubar,
Io Canoræ vocis auctor:
Io Phalanx redimita Lauro.
Io Sonoris fundite barbitis,
Tot Laureatos dedecet hoſpites
Spectare Parnaſſo ſilenti,
Quem placidis ſubiere votis.
Martine ſeu tu maxima pars mei,
Seu ſanguis vnus, cogor vtrolibet,
Te gratulanti non tacere,
Sed docili reſonare plectro.
Quamuis docendus Calliopeiæ
Tyro Camænæ, pectinis aurei
Ignarus expers ac eburnam
Indocilis cytharam ferire.
Tamen moleſti frena ſilentij,
Et noſtra nouit ſoluere tibia.
Te gratulabundo tacere,
Melpomene prohibet fauore.

Aurata

Aurata Phœbi iam penetralia
Subiſſe gaudes ſtans Heliconio
In monte, radices tenenti
Certa ſpei mihi ſigna ſpondes.
Spes tedioſæ grata comes viæ,
Te perſonantis vix Cytharæ ſono
Attingit, in pulchris morantem.
Et roſeis Heliconis aruis.
Fælix ſerenâ luce frui queas,
Quem caſta Virtus ornat honoribus
Et doctus in Pindo Senatus
Inſeruit numero Sophorum.
Cui celſa rupis viſere contigit,
Pleniſque labris Bellerephonticos
Potare fontes, imbuiq́ue
Ambroſio Superum liquore.
Hic mille poſtquam paſſibus arduum,
At molle ſacris graminibus iugum
Conſcendit, intacto ſopore
Et placidâ fruitur quiete.

Andreas Hyacinthus Wolfowicz
Germanus Frater, Stud. Dialect.

NICOLAVS & CHRISTOPHORVS OSTROWSKI CAPITANEI:

ÇAPINO: Stud. Rhetor.

Nostra tibi sit parua licet vult Musa precari
Laudes, quas iustæ munere Matris habes.
Te siquidem celebrare decet MARTINE, Camœnis
Delicium Patris spemq; iubarq; sui:
Tu Domui claræ superaddis lumen amœnum,
Dum lauro cinctus lucida serta geris.
Sidereasq; faces, extinguis sidere lauri,
Stellaq; iam tectus incipis esse tuis:
Tu vitæ teneræ cursus annosq; tenellos
Iussisti vitæ currere dulcis iter.
Otia non vacuo nutriebas pectore stulta,
Menti sed fuerat semper imago boni.
Ac non dum roseam Titan de littore frontem
Extulerat, tua mens iam fuit in studijs.
Tu solidâ pietate, decus, nomenq; dedisti
Artibus, & Patri tu sine nube dies.
Pro tantis igitur factis multoq; labore,
Præcingat frontem pulchrâ corona tuam.
In te vita domus, laudes, generosa propago,
Longaq; traducant sæcula Patris honor.

I O

PRIMÆ LAVREÆ.

SVnt quos tergemino virtus extollit honore,
Et canit immodico Fama canora sono.
His iteratur IO, nec chordas præses Apollo
Denegat, auratæ nec monumenta Lyræ.
Instauratque melos virtuti prima sororum
Calliope, si quem vox renouata iuuat.
Ergo nouos itera posthac MARTINE labores,
Sin iterum sacræ te capit IO lyræ.

ALIVD.

NOn est parua tui merces MARTINE laboris,
Quod tibi Castalium personet agmen IO.
Sat bene constabit virtus si voce probetur,
Pectine Pierij non celebrata Dei.
At tua cum virtus plectro celebratur eburno,
Virtutis precio non caret IO tuum.

Matthias de Radunia Radunski.
Stud. Poes.

ALBERTVS RADZIECHOWSKI.
STVDIOSVS RHET.

CVm Pater Heliadum medijs procedit ab vndis,
Atq; suo teretes librat in axe rotas.
Euigilas subitò: subitò parapegmata prendis,
Stelliferas metiens sub Phaetonte domos.
Sarmatici dum Gymnasij discurris arenis,
Et simul æthercam curris in orbe plagam;
Fortè cupis binas simul hinc prensare corollas
Quêis nitidam valeas condecorare comam.
Congrua serta tuis meritis MARTINE peroptas,
Vt gemino duplex regnet honore labor.
Accipe quod cònfert tibi nunc Academia primum
Prendere vis aliud Cassiopæa dabit.

OMEN

OMEN
SECVNDÆ LAVREÆ.

Quamuis virtutem fidi comitantur honores,
Et referat Virtus quælibet Io suum.
Non tamen Aonidum cuiuis in vertice summo
Agmen, Apollineo pectine pulsat Io.
Hoc tuus ô GENITOR meruit MARTINE cacumen,
Æternum virtus hic sua fixit Io.
Si studeas tanti vestigia nosse PARENTIS
Non ne patent faciles ad iuga tanta viæ?

ALIVD.

Io tibi gracili resonat modulamine Phæbus,
Cùm tua laurigerâ tempora fronde virent.
Nunc MARTINE tuæ vtrtuti debita plectro
Præmia soluuntur, quæ breue claudit Io.
At cùm longa tuis meritis accesserit ætas,
Addetur famæ nobilis Echo tuæ.

Petrus Nicolaus De Drozdovv
Drozdovvski Stud: Poeseos.

B MARTI-

MARTINUS STANISLAUS WOLFOWIC.

ANAGRAMMA.

FLOSCULUS AONI, VIRTUTIS AMANS.

Jugiter Aoniis roseum Ver floret iu aruis,
Quod nec ab Æoliis pellitur inde Notis.
In lauri folijs hæc Anni gemma moratur.
Non amat in nostro spinea puta solo.
Inuide mons, vrit cùm vix Sol cornua Tauri
Ver tribuis, iugi pasceris ipse rosâ.
Floribus aspergis tu partes quattuor Anni,
At violas nostræ Ver breue donat humo.
Quis non inuideat campis tam montis amæni,
Ialia non nostris floribus arua nitent.
Flosculus Aonij *montis* virtutis amator,
MARTINUS, quid flos hic valet ipse notat.

Gaspar Lederowicz Fr.
Stud: Poes.

Io So-

IO SOCIALE:

A IOANNE GRYNWALDT E NUMERO CANDIDATORŨ Excitatum.

Io, siue tuus prole beatior
Iantâ prole Parens extitit Inachus,
Quamuis te nemorum fortè recessibus,
Enatamq; stupens Æmonius latex
Inter syluicolas ipse colit Deam.
Seu tu magna Parens connubio Iouis.
Nostris ista tamen versibus exulat
Io, nonq; meis hoc sonat auribus
Numen Mercurium, Nata vel Inachi.
Ast quod Castalides dulce sonant Io;
Ast quod Castalium gloria Virginum:
Istud sæpè meis personet auribus:
Virtuti, meritis atq; laboribus
O MARTINE tuis, hoc fero præmium,
Quò me fortè tuus dulcis amor iubet:
Phæbeam insolito prendere Barbyton,
Indoctisq; tibi ludere versibus,
Et iustu precium ferre laboribus:
Nec fecisse tibi promptus amor negat
Vt non sit vacuum tempus amoribus,
Quo non iustus amor pectore candido,

Quo non

Quo non iuncta fides, iuncta fidelitas
Erumpens animi visceribus mei
Propensi exhibeat symbola pectoris:
Sexcentas etiam voueo Laureas.
Densis ecce strepunt frondibus arbores,
Et molli residens tegmine Cynthius
Frondis, vota ferens, lilia frondibus,
Narcissos cumulans, spargit Amaracos.
Confert Io meum germen Apollinis
In Iagellonio, quod Charites sinu
Plantârunt. Igitur cingito tempora,
Florebit mediis ramus in ignibus
Doctorum mediis iuncte Phalangibus.
Non liuor tabidus dentibus inuidis,
Non æui iniuriæ dente adamantino
Absument precium, quo data Palladis
Sertauit niueum gloria verticem.
Cernes Antipodas, non Lyricis minor
Famâ vatibus. Haud augurium scio
Fallet fatidicum me: Ibis in exteros,
Ascensurus adhuc & Patris exedras
Hausturus Medicæ Dogma scientiæ
Doctrinæq; Satur, cùm fueris redux,
Patri persimilis: sospiti ab exteris
Sexcentis quas dono tibi Martine corollis,
Mille etiam Io meum iunget sociale salutes.



ODE
In laudem Artis Apollineæ.
A
IOANNE CZECHOWICZ *secundæ laureæ Candidato concinnata.*

PLectra Musæ doctisonæ ferite
Musices laudes celebrate miras
Et Choraulam omnem Chelicon adaptet
ludat Apollo.
Carminis nectendo sacrum furorem
Huc Sorores cum Cytharis adeste
Suauiter carmen modulando, famam
pellite chordis.
Desuper missum Harmoniæ monile,
Hâc Dauid Psaltes Sathanam fugauit,
Corde tristes exhilarauit, sacra
pagina testis.
Hâc Homerus grandem animi dolorem,
Arte pulsando calamos, leuabat,
Milites armat timidos sonante
pectine Pæan.
Tigrides apri cicures frequentant.
Cinias dulcem ad strepitum choraulæ
Felleum motum remouent, Achilles
ambo feroces
Ergo diuina decorate laude,
Musicam tentando mouere chordas,
Qui, Poëtæ serta Terentij optant,
Musica mittet.

Faciebat Symphoniam Adm. Reñdus Dñus,
D. FRANCISCVS LILIVS, *Chori Ecclesiæ Cathedr: Crac:*
MAGISTER.